DE AFFECTIONE HYSTERICA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM PRO...



DE

AFFECTIONE HYSTERICA

Dissertatio Inauguralis

QUAM PRO

DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA OBTINENDA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

CAROLUS HUGHUS KOHEN



PATAVII

1845

100



Nullus morbus mulieribus tam familiaris, nullus qui omnes corporis partes tam varie exerceat.

Quod Democritus scripsit in epistola ad Hippocratem, sexcentarum aerumnarum atque innumerabilium calamitatum auctorem esse uterum, et Hippocrates ipse tradidit, multis et captum omnem superantibus affectionibus augi miserrimas mulieres, aptissime cadit in hunc locum. Adeo enim mulieribus fere omnibus nostra hac aetate familiaris existit hysterica affectio, ut ex sexcentis otiose et opipare viventibus vix centum reperiantur quae huic morbo, aliorum fere omnium formam induenti, obnoxiae non sint. Tot namque tamque horrendis symptomatibus stipatur, ut cum incomprehensibilia plerisque videantur, a daemonibus potius quam a morbi viribus premi mulieres et exagitari facile judicetur. Quapropter optime a Galeno dictum hystericam passionem unum quidem nomen esse, varia tamen et innumera accidentia sub se comprehendere. Quod probe tenens Riverius se continere non potuit, quin auctores praecipuos qui de mulierum morbis scripserant altiori voce damnaret. Isti enim quamvis suffocationem hystericam sub titulo hystericae passionis egregie explicent, symptoma peculiare, quod omnium frequentissimum et molestissimum esse solet, generis nomine donantes, diversis tamen capitibus varios ex utero affectus perpe-

ram exponunt: nempe hystericam suffocationem, capitis dolores, convulsiones, cordis palpitationes, arteriarum in hypochondriis et dorso pulsationes, ventriculi, hepatis, et lienis affectus, variosque in aliis partibus dolores ex utero oriundos, quod illi omnes ab iisdem omnino causis exoriantur, atque unam medendi methodum exposcant.

Voluerunt nimirum veteres Galenici istarum affectionum causam esse sanguinis menstrui circa uterum retentionem vel seminis corruptionem, quo fit ut malignam ac venenatam qualitatem acquirant, ex quibus maligni vapores elevantur, variasque corporis partes afficiunt. Verum cum alii ex istis animadverterint menstruantes mulieres aeque ac vetulas in hunc morbum incidere, aliam excogitarunt, humorum scilicet excrementitiorum ad uterum confluentium copiam, qui diuturna mora putrescunt, unde ex vasis uteri tetri vapores emittuntur, modo hanc, modo illam partem afficientes, ac symptomata hystericae affectionis excitantes. Verum quis non videt, reliquis mentis conatibus aliud non suadentibus, omnes veterum hypotheses falsas fuisse, dum meatus ac ductus per quos humores, malignam ac veneficam indolem nacti, ex utero, conterminisque partibus in quibus nidulantur, erumpentes ad cor et cerebrum deferuntur, variis morbi symptomatibus pro varia humoris qualitate ansam daturi, patentes adhuc nemo ausus est assignare? Sed haec omnia longe diversa ratione rem se habere clare evincunt, cum praedictae partes, exquisitissimo sensu praeditae, turgere, inflari, tendi, obstrui, aut alia ratione affici nequeant, quin nerveae fibrillae, quibus eaedem contextae

sunt, in validiores atque inordinatas contractiones agantur, et hinc tristis sensatio ac spasmus excitetur, qui reliquis corporis partibus communicatus, omnia hystericae affectionis symptomata inducat.

Si nimirum accurate perpendamus minimos nervorum ramusculos, qui per uteri substantiam disseminantur, cum nervis sexti paris a cerebro originem initiantibus communicare, nihil fere negotii facesset affectionum explicatio, quae hunc morbum comitari solent. Cum enim varie atque inordinate contrahantur, irritentur, convellantur, variae autem atque inordinatae contractiones, morsus, convulsio per mirabilem consensum partibus communicentur per quas iidem ipsi nervi distribuuntur, easdem prae aliis ejusmodi consensum pati oportere, et varie exagitari, torqueri atque moleste affici perspicuum est. Hinc nil mirum nervos qui per viscera abdominis distributi ad pharyngem usque pertingunt, ut spasmo affecti sunt motus undas repraesentantes excitare: quod nihil aliud esse censendum est, quam viscerum eorundem ac partium convolutionem quandam, et quasi conglobationem; qui spasmus violenter, magnoque impetu ad superiores usque partes propagatus, globi speciem sursum ascendentis mentitur.

Carolus Piso praecipuam morbi sedem in cerebro, vel potius nervorum principio collocavit, cujusce rei Willisius hunc affectum ad motus convulsivos retulit, ejusque causam esse statuit in confuso, perturbato, atque inordinato spirituum animalium moto circa nervorum principia existente propter particularum eterogenearum cum ipsis admixtionem, quae particulae eterogeneae copula explosiva ab eodem vocatur; hanc

copulam retinere spiritus, et una secum in canales nerveos deducere; atque hisce confusi agitati, spirituum animalium motus jactis fundamentis, omnia hystericae passionis symptomata dilucidat. His addenda ex his composita sententia clarissimi Etmullerii qui, non excluso acido succi pancreatici, ventriculi, aut glandularum intestinalium vitiose effervescente, partium tamen nervosarum convulsiones tum abdominis, tum aliarum partium genuinam hujusce morbi causam praetendit. Si quid ego in re ardua ac perdifficili sentio, quamquam haud inficias ire ausim scriptores magnos et doctos ad veritatem propius accessisse cum suam unusquisque de affectionis hystericae causis doctrinam congessit, dummodo suus cuique locus tribuatur; parcant tamen si in illorum sententias non eo, cum doceant easdem esse ac affectionis hypochondriacae, et nullas in utero conterminisque partibus esse agnoscendas. Quamvis istorum affectuum symptomata inter se similia, ac utrique valde communia videantur, animadversione tamen digna occurrunt quam plurima quae eorum differentiam insignem faciunt. Hysterica enim affectio vehementer et ex improviso gravidas, puerperas, viduas, plethoricas post grave aliquod pathema animi, vel virgines post repentinam fluxus menstrui suppressionem aggreditur, ut omni sensu ac motu privatae repente in terram concidant, acri ac incredibili frigore externas corporis partes occupante, ut manibus percipi, nec calefactis linteis temperari queat. Dolore insuper in capitis vertice certae regioni infixo adeo atrociter divexantur, ut a clavo ferre nil atrocius possent; globo ex imo ventre gulam versus ascendente presse, frequentique animi deliquio,

subitoque ad suffocationem usque intercepta respiratione. Aliquando foeminam tam forti strangulatione corripiuntur, ut nil magis a laqueo, solo pennarum accensarum suffitu naribus admoto levamen interdum prorsus mirabile percipientes, nullum interdum quocumque adhibito medicamine, ut propterea pro mortuis habitae sepulchro destinatae nonnullae fuerint. Percurre, quaeso, singulas et universas affectionis hypochondriacae notas: nllam ne in tanta earum diversitate reperies quae cum praedictis suffocationis uterinae symptomatibus aut frequentia, aut invadendi modo, aut vehementia comparari queat? Subitam ac vehementem sensus et motus privationem, qua ex improviso in terram concidunt ne dixeris, quae in hypochondriacis non observatur. Neque acre illud atque incredibile frigus, neque clavum hystericum dictum, neque globi ascensum, neque animi deliquium, et ad suffocationem usque interceptam respirationem, fortemque strangulationem testibus fide dignissimis, quae si a malo hypochondriaco non sunt remota, minus tamen frequenter vehementerque aggrediuntur. Quosnam hypochondriacos videas in solo pennarum accensarum, aut rerum graveolentium suffitu medicinam adeo praeclaram agnoscentes ut eo solo et ab ingruentia paroxysmi discrimine et ab eodem gravissime infestante ita vindicentur ut in perfectissimo valetudinis statu, incantamenti ad instar, constituantur?

Hisce addas velim hystericam quandoque affectionem, medicaminum vires ac medentium nisus eludentem, sensim sensimque ingravescentem, atque altas in penetralibus viscerum radices agentem, in epilepsiam, in lethalem syncopem, in uterinum furorem, in uteri hydropem

terminari. Malum autem hypochondriacum, in scorbutum praesertim, qui summus ejusdem gradus est, in icterum aliosque ejusmodi morbos, in quibus viscera imi ventris plerumque tumore aliquo laborare solent, aut aliter desinere potest. Nil igitur verosimilius afferri posse videtur, quam si dicatur uterum propter lymphae genitalis, aut sanguinis, aut alterius humoris retentionem corruptionemque, aut extranei corporis, falsi videlicet germinis, aut similis in ejus cavitate suppurationem, aut aliter male affectum, hystericae affectioni ansam ob hanc potissimum rationem praebere, quod nervi per ejus substantiam distributi varie irritati, demorsi, vellicati, omnes quibuscum insignem habent communicationem ad violentas, atque inordinatas contractiones partium, quibus inseruntur, ciendas excitant, unde varia symptomata, pro convulsionis aut spasmi varietate, proficiscuntur. Quae quidem omnia cum ab uteri convulsione primum, ac spasmo tamquam rivulus a fonte emanent, rectum putandum est consilium praestantissimi Mauriceau, eumdem omnium symptomatum causam, quibus hystericae mulieres in paroxysmo corripiuntur, habendum esse, atque, juxta Hippocratis assertum, plurimo morborum quibus eaedem prae viris dire excrentur. Utero partes conterminae, immo ad uteri fundum hiantes, sunt tubae Fallopianae dictae: duo scilicet ductus, qui inde magis ampliantur, et unus pro quoque ovario hujus dorsum conscendens, mox infra demissus orificio suo in lacinias quasdam ornamentum foliaceum dictas diviso propendet, substantia eadem fere, qua uterus, praeditus. Ad duorum fere digitorum ab uteri lateribus distantia duo alia globosa corpora con-

sita sunt, veteribus *testes muliebres*, recentioribus *ovaria* nuncupata, eidem utero per latum ligamentum, perque aliud satis validum connexa. Nil igitur mirum videatur, aut tubaa Fallopianaa, aut ovaria quocumque humore repleta, distenta, aut alia ratione affecta, ipsius hystericae affectionis symptomata progignere, quae ab uteri laesione exoriri supra ostendimus; cum hujusce et illarum partium, per nervos reciproce commonicantes, consensus ejusmodi sit, ut una affecta, aliae quoque parum dissitae immo connexae afficiantur. Lympha genitalis insuper, stagnaus et corrupta, extremitates nervorum ejus substantiam perreptantium multiplici ratione afficit; et haec una satis valero potest ad effraenes motua, atque inordinatas contractiones universi corporis concitandas.

Phaenomena omnia pubertatia commonstrant circa hoc tempus ad uterum talem sanguinis aliorumque succorum afiluxum fieri, quo non solum extrema vasorum oscula reserantur pro sanguinis menstrui evacuatione, sed talis in extremitate nervorum motio excitatur, quae ad cerebrum usque pertingens Veneria ideas in animum inducat. Hisce porro ad stimuli sedem major sanguinis, aliorumque succorum fluxus promovetur, atque desideria ad Venerem incenduntur. Quid igitur mirum videtur, majore facta stagnatione congestioneque, componentes hujusce lymphae partes senaim a se mutuo solvi, atque secedere, subtiliores avolare, crassiores vero remanere, paullatimque corrumpi, acres propterea, volatilea tenuiores fieri, nervos villicare, aut alia ratione afficere, ut inde dirissimum malum hystericum subsequatur? Magnum hujusce rei clarumque argumentum

est, virgines circa pubertatis annos Venerem avide appetentes, viduas intermisso coitu eodem morbo vehementer exerceri: quia videlicet lympha genitalis, sanguis si libet, aliique humores ea copia accumulantur, ut non sine morsu atque vellicatione in extremitatibus nervorum contineri, in organis a natura comparatis nequeant, ex qua violenti spasmi ad universum corpus propagantur.

Egregium Raimundi Jo. Fortis monitum est, salacitatem, uteri fervorem, ac pruritum a furore uterino probe esse distinguendum. Salaces enim mulieres intra honestatis limites sese continent; uteri fervore affectae dolorem aliquem et molestiam in utero percipiunt cum aliqua horripilatione, et urinae retentione; pruritu vero uteri laborantes vel libidinem non patiuntur, vel si patiuntur, ut satyriasim viri ferre solent, delirii tamen ac furoris expertes servantur. Hisce differentiis rite perpensis, factum est ut de furore uterino hoc capite ageremus. Cum enim salacitas, uteri fervor, et pruritus in utero conterminisque partibus, cerebro illaeso, sedem agnoscant, atque uterini furoris levioris gradus sint, ad mulierum morbos referri aptius posse videtur, quam ad morbos capitis, ut Fortis, Riverius, Mercatus, aliique praestiterunt, quidquid Hoffmannus senserit qui Sennertum hac in parte sequutus, furorem uterinum ad maniam pertinere asserentem, et peculiarem ejus speciem esse, ad delirium melancholicum et maniacum eumdem retulit. Quamquam si causas spectemus ab omnis aevi medicis prolatas, ita in iis assignandis cuncti conveniunt, ut lis omnis et quaestio dirimatur. Si enim Aetium audimus, quem Jo. Fortis sequutus est, is scrio-

rem, fervidiorem, ac copiosiorem sanguinem causam praetendit, a quo copiosius et acre semen progignitur, quod tandem, veluti turgens et naturam ad sui expulsionem sollicitans, Veneris appetitum inducat: qui si vehemens et immoderatus, per spinalem medullam cerebro facile communicari, imaginationem et rationem depravare, et incontinentiam ipsam, impudentiam, et insatiabilem coeundi cupiditatem inducere valet. Quod plane sentire visus est Riverius, seminis copiam, acrimoniam et fervorem, naturae leges excedentem, accusans, quae in vasis seminalibus immodice turgens, genitalia vehementer excitat ad Veneris appetitum, eaque veluti inflammat: ex ea materia vapores ad cerebrum transmitti conjiciens, qui rationem perturbant, eamque a sede sua dejiciunt. Quamquam si Riverii mentem attentius perscrutamur, ipse seminis corruptioni et malignae qualitati invitus adhaesit, ignorare se affirmans differentiam, quae inter hunc affectum et hystericam passionem intercedit, quae a semine corrupto et malignitatem adepto producitur. Licet enim varii corruptionis gradus varios etiam malignitatis gradus efficiant, unde magna symptomatum varietas exsurgit, manifestas tamen qualitates, copiam scilicet, acrimoniam, turgentiam aliaque similis eum partium genitalium phlogosi ad hunc affectum producendum sufficere arbitratus est. Discrimen interesse videtur non levis momenti: primum quod veteres fere omnes muliebri semini morbi causam attribuerunt; Hoffmannus vero, et qui nuperrimis temporibus floruerunt fere omnes liquori sen lymphae genitali, cujus supra meminimus, quo loco non semen generare mulieres ostendimus, sed liquorem semini haud

dissimilem, quemque veteres pro muliebri semine habuerunt, eum potissimum in finem a natura comparatum, ut genitales partes lubricentur, et voluptatis sensus angeatur. Si igitur lympha haec, aut liquor genitalis dictus, nimia copia separetur, aut nimia peccet effervescentia, acrimonia, aut alio quopiam vitio quo genitales partes, clitoris praesertim, in quo Veneris oestrum, vellicentur et irritentur, intensum coeundi desiderium oriri oportere adeo manifesta res est ut manifestior sit nulla. Discrimen alterum faciunt veterum vapores ad cerebrum transmissi, imaginationem circa illud objectum et rationem ipsam depravantes, quos tamquam commentitios Etmüller et Hoffmann e medio tollere quantum illis licuit conati sunt, praedicta acriori mechanico-chemica lymphae genitalis vellicatione utentes, atque irritatione, cujus occasione talia in spiritibus animalibus motus suscitatur et talis impressio, sive idea venerea, quae continuo animae repraesentatur, ut nil cogitare eadem possit nisi res ad venereum exercitium pertinentes; quo fit, ut phantasia firmissime hisce ideis inhaerente, usus rationis saepius minuatur et invertatur. Cujusce rei obscuritas si quae inesse aliquibus videatur, illustratur analogo exemplo desumpto a pollutione virorum nocturna. Sicut enim ex semine copiosius congesto, et stagnante in vesiculis seminalibus virorum, talis exoritur in pudendis vellicatio et titillatio, ac talis spirituum animalium motus, ut inde insomnium exerciti actus venerei excitetur; pari ratione, cum insomnia dormientum sint deliria vigilantium, si a lympha vel liquore genitali copiosius aggesto, nervorum extremitates, qui per genitalia ac pudenda mulierum mire disseminantur,

quadam ratione vellicentur commoveanturque, atque tremores abhine prodeuntes ad cerebrum per nervorum ductem propagentur, Veneris imaginem tandin animae obversari debere, quandiu eamdem inflexionem conservent. Quid si acrioris lymphae genitalis effervescentia sanguineae massae communicetur? Acriores nempe spiritus generantur, concitatiorique motu moventur; unde spirituum animalium fervor una cum intenso genitalium pruritu, effraene coeundi desiderium, furibundes Veneris impetus. Causas externas quod attinet, omnium cum veterum tum recentiorum consensu statutum est, ea omnia esse, quae vel seminis, et illis placuit, vel lymphae genitalis, ut aliis, copiam accumulare possint, vel eam nimis acrem, aut alio quopiam vitio coinquinatam reddere. Copiae humoris genitalis accumulandae juvenilis aetas plerimem tribuit: cum enim in juventute fibrae debita tensione, teno atque elatere donentur, motum saguinis vividum esse, celerem, et vehementem, spiritus ad motum pronos, atque ad munia quaecumque obeunda expeditissimos; hinc ad actiones omnes alacritatem, promptitudinem insigem, secretiones omnes, excretionesque seminis involuntariae in viris, lymphae eidem analogae in foeminis contingere clarem est. Quod si non involuntariae excernater, copiam nimirum tantam colligi in partibus genitalibus, ut molestiae iisdem sint et irritamento perspicuum est.

Quamvis delirium melancholicum, quod a vesano amore proficiscitur, a furore uterino probe sit distinguendum, easdem hic tamen externas causas agnoscit, inter quas amasiorum blanditiae, consuetudo, lenocinia eminent. Ad hujusce rei statum melius assequendum in

memoriam revocandum est, amorem desiderium possessionis et unionis rei amatae definiri: tunc conciliari cum imago ant forma maris ant foeminae, ope reflexi refractique luminis in spectantis retina impressa, peculiarem tumorem in nervea filamenta nervos opticos constituentia inducit, qui cerebro propagatus, et ejusdem fibras certa quadam ratione concutiens efficit, ut percipiendi facultas formam eamdem et imaginem exprimat et intueatur. Quae quoniam propter sympathiam quandam, consensumqoe naturae, ob quam deformitates ipsae et corporis vitia in deliciis sunt, grata et jocunda est, intueri eamdem praesente archetypo amat, eo autem absente sibi repraesentare et contemplari: ex repetita contemplatione nerveas cerebri fibrillas eam inflexionem suscipere per quam idea distincta, clara, vivida ejusdem imaginis diu menti praesens obversatur: hanc sequi opinionem summi ac sibi convenientissimi boni, hinc desiderium unionis, seu possessionis rei amatae. Si id adeo vehemens sit, ut nerveae cerebri fibrillae ea ratione inflexae, qua idea clara et distincta rei amatae animae obversator, facultatem sese restituendi aliosque tremores suscipiendi amiserint, delirium melancholicum subsequi. His breviter delibatis, quid ni liceat conjectari foeminas, quas animalium nomine insignivit Ariostus:

> Questi animai, che son molto più strani,
> Correggier non si dee sempre con sdegno,
> Nè a mio parer mai con menar le mani,

ab amasiorum blanditiis, consuetudine, lenociniis ad eorumdem desiderium allici eo prorsus modo, quem tradunt Valerius Maximus et Plinius, de quodam narran-

tes, qui Gnidiae Veneris nudo corpore simulacri in toto terrarum orbe nobilissimae amore captus, cum delitoisset in fano, noctu eidem cohaesit?

Quo sane consequitur, ut cum optato fine poteri nullatenus queant ingens saepenumero lymphae genitalis copia in organis ejusdem secretionis dicatis cumuletur, aut eadem ita effervescant, aut alia ratione afficiantur, quarum vel una satis valere potest ad genitalia irritanda, atque hinc furorem uterinum ciendum. Tres quasi gradus hujusce morbi diagnosim constituunt. Prior illaesam mentem relinquit, atque affectionibus quibusdam, quae caeteris etiam morbis communes sunt, se prodit: ejusmodi sunt moestitia, taciturnitas, quae si sola spectentur, peritiores etiam medicos ludere valent, cum mensium suppressioni, chlorosi, delirio melancholico, aliisque fere innumeris conveniant. Larvam tamen aperit oculorum jactatio, lascivia, et faciei rubor per intervalla succrescens, praesertim ad impudicorum librorum lectionem, aut venerearum rerum commemorationem, ad quam pulsus et respiratio immutantur.

Quod si diligenter animadvertas parum negotii faesset explicatio oculorum jactationis, lasciviae, faciei ruboris, mutationis pulsus et respirationis, quae ad librorum impudicorum lectionem sunt rei venereae commemorationem, quae inter initia furoris, dum adhuc montis compotes sunt mulieres, contingit, objectis scilicet quae avidissime appetunt phantasiae oblatis, vel in memoriam revocatis, quibus nervorum motus perturbatur atque placidus aequabilisque sanguinis circulus pervertitur.

Alter autem gradus est qui virilium congressuum

desiderium constituit, lascivia quaedam, inconstantia, garrulitas, iracundia, modo fletus, modo risus, aliaeque affectiones quae se invicem excipiunt: quod genitalium non modo partium vellicationis atque irritationis argumentum est prope certissimum; sed nervorum filamentorum cerebrum constituentium perturbati motus, unde variae species menti assidue obversantur, cum objecto tamen perpetuo conjunctae, a quo primum iidem motus exorti sunt. Ex his nil certi colligi potest; sed ulterius progrediendum ac diligenter ad novum ingruentem paroxysmum attendendum, qui furore quodam se prodit, quo peritae mulieres, inconcinne, imprudenter, atque sine pudore alloquentes, viros ad coitum palam et coram omnibus invitant: unde optime videtur ab Ætio dictum, quod furor uterinus sit uteri calida intemperies cerebrum in consensum trahens, quam rabiosum delirium consequitur.

Quoad therapiam si mature medela adhibeatur curationem admittere; si vero longius progrediatur morbus, vel neglectus, vel praeposteris medicinis pertractatus, in maniam degenerare omnium consensu statutum est. Cujusce rei ratio esse videtur, quod spiritus animales, certas easdemque semper vias remetientes, fibrasque cerebri in certa quadam inflexione detinentes, per quam idea rei venereae excitatur, earumdem structuram pervertunt, vel, caeco impetu hac illac ruentes, varie et inordinate easdem concutiunt, unde variae ideae et cum furore conjunctae subsequuntur, atque hinc mania. Videntes nonnulli camphorae usum veteres pertimuisse, propterea quod vel solo odore potentissimos venereos ardores extinguere valeat, ut Dioscorides, Plinius, aliique

testati sunt, unde tritum illud invaluit: *Camphora per nares castrat odore mares;* ad eredendum vehementer adducti sunt contra furorem uterinum efficacissimum, si quod aliud remedium esse. Ita fere Riverius, Jo. Fortis aliique, Avicennae ducti testimonio, qui, camphorato potu sumpto, quemdam luxuria vexatum penitus liberatum esse narrat. Verum nec adeo certa est hujusce medicamenti virtus contra libidinis incendia, ut in dubium revocari non possit; nec auctores omnes in vi camphorae deprimente consentiunt. Huic curae insuper opitulantur emulsiones variae, nitrum, et deprimentia fortiora.

Plurimum quoque praestare diaetam tenuem et aquosam vel ex eo maxime apparet, quod lymphae copia, effervescentia a victu opiparo, vita curis vacua, aliisque ejusmodi externis causis ortum ducit, quae omnino interdicendae sunt. Quod ubi diligenter teneamus assequi facili negotio poterimus, cur et otium omnino fugiendum sit, de quo perbelle Ovidius:

> Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
> Contemptaeque jacent, sine luce faces.

Cur etiam a virorum consuetudine, familiaritate, et colloquiis amatoriis aliisque lenociniis sit prorsus abstinendum; conjugium vero, praesertim in virginibus Venerem, et in viduis intermissum coitum avide appetentibus, sit procurandum, ut jam Hippocrates sua aetate praecepit: ut nempe satiato utero et effuso genitali humore, proxima furoris causa deficiat.

THESES

Aude aliquid . . . .
Si vis esse aliquid.
Juven.

Causa prima indolis semper physica: hinc non est educatio quae indolem efficiat, sed fibra.

Expansio fibrae est ad instinctum amoris diffusivi, sicut ejus contractio ad *suismum*.

Foeminae steriles saepissime vivaces.

Variae cerebri functiones aequaliter organa varia supponunt.

Magnetismus animalis medicorum arti auxilium potentissimum.

Quanto major vita intensiva, eo minor extensiva.

Puellarum anhelitus potens elixir vitae diuturnae.

Causa efficiens sexus in qualitate humoris seminiferi quaerenda.

Contra morbos haereditarios educatio justa, optima prophylaxis.

Homo facultatem possidet vim vitalem ipsi propriam augendi, seu vitalem electricitatem, et ejus emissionem juxta voluntatis suae desiderium in similem suum dirigere.

Stethoscopia maximum auxilium diagnosticanti in pluribus morbis medicis et chirurgicis.

Phrenologiae utilitas non tantum ad analysim facultatum hominis limitatur, sed aliae multae practicae utilitates cerebralis organologiae studium magis adhuc commendant.

Tractamen homoeopathicum aegris illis óptimum, qui allopathica metodo fera totam pharmacorum catervam exhauriere.

Nil in natura quod naturale non sit; et si praestigia et praestigiatores hodierna die non dantur, hoc ad civilisationis progressus, et phaenomenorum naturae studium tribuendum est.

Si systemata in medicina scientiae et celebritati illorum auctorum juvarunt, plus certe humanitati detrimento quam utilitate fuere.

Coi tipi di A. B.